

*de literis Eliae ad Joramum.*

7

dierum conscripsit; *partim* ex ipso nomine Eliae, quamvis enim alibi, & quidem 1. Regum 17. v. 1. ubi primò ejus mentio fit, fuerit denominatus *Thesbites*, & ab habitu *singulari* fuerit descriptus cognitusq; à Rege Achasia. 2. Regum, 1. v. 7. hoc loco autem *prater titulum* prophetæ nullum aliud signum distinctivum sit additum, ipsum tamen nomen proprium *tandiu militat* pro Thesbite, quamdiu non probatur, alium quendam intelligendum esse, nec contemnendam esse hanc rationem, patet ex *Nov. Test.* locis per plurimos, quibus nuda *Nominis Eliani* mentio occurrit. *Thesbites* dictus est à *Patriâ*, quæ non erat urbs *Thebe*, in quâ occubuit *Abimelech*, Jud. 9. v. 50. hæc enim sita fuit in *tribu Ephraim*, juxta Sichem; quod quidem voluerunt *Abulensis & Lyranus*; sed *Thesbe* vicus situs in terrâ *Galaad* ultra Jordanem olim spectante ad *Amorrhæos*, postea à Mose *Rubenitis, Gaditis & Manassitis* assignata. *Adrichomius* in deser. terræ sanctæ refert ad eam partem, quæ cesserat *Gaditis*. Circa ejus *Nativitatem, educationem, & habitationem* varii varia movent, quæ convasavit *Cornel. à Lap.* in Comment. suis. Alii ex Parentibus *ad tribum Levi* spectantibus oriundum volunt, utpote sparsim habitantibus Levitis per omnes tribus; alii id negant, cum Prophetæ *ut plurimum* fuerint ex aliis tribubus, tanquam extraordinarii doctores, non ex tribu Levi, quæ tota à DEO erat consecrata suo cultui. Cæterum in recensendis *miraculis & dotibus Eliae* occupati fuerunt multi interpr. *Syracides, Dorotheus* in vitâ ejus, à *lapide* modo allegatus, constantque hæc in primis verò *translatio ejus*, quæ vivo corpore facta est, ex historia sacrâ. Dum verò *Eliam* pro scriptore secundario hujus Epistolæ agnoscimus, eo ipso patet, non privato ausu eandem fuisse exaratam, qualem hypothesin *Pontificii*

fb-